



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

XIII. De monachorum promotione ad clerum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

corum, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem Synodus Nicæna permisit.

XIII.

Monachos quoque, quostamen morum grauitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officii aggregari & optamus & volumus, ita vt qui intra tricesimum ætatis annum sunt digni, in minoribus per gradus singulos, crescente tempore, promoueantur ordinibus: & sic ad diaconatus vel presbyterii insignia, maturæ ætatis consecratione perueniant. Nec statim saltu ad episcopatus culmen ascendant, nisi in his eadem, quæ singulis dignitatibus superius præfiximus, tempora fuerint custodita.

Can. 4. Nicæan. Syn. 16. q. Monachos quoque.

XIV.

Illud quoque nos par fuit prouidere, vt sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita & post pœnitentiam ac reconciliationem, nulli vnquam laico liceat honorem clericatus adipisci: quia quamuis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.

Dist. 50. Illud.

XV.

Et quia in his omnibus, quæ in reprehensionem veniunt, sola excusatio ignorationis obtenditur, cui nos interim, solius pietatis intuitu, necesse est clementer ignoscere: quicumque pœnitens, quicumque digamus, quicumque viduæ maritus, ad sacram militiam indebite & incompetenter irrepsit, hac sibi conditione a nobis veniam intelligat relaxatam, vt in magno debeat computare beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in hoc quo inuenietur ordine, perpetua stabilitate permaneat: scituri posthac omnium prouinciarum summi antistites, quod si vltra ad sacros ordines quemquam de talibus crediderint assumendum, & de suo, & de eorum statu, quos contra Canones & interdicta nostra prouexerint, congruam ab apostolica sede promendam esse sententiam.

Dist. 50. Quicumque pœnit.

Explicuimus, vt arbitror, frater carissime, vniuersa, quæ digesta sunt in querelam: & ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum presbyterum, ad